

de Capitulo Universitatum, studiorum Generalium, & eorum personis Privilegia remaneant immutata: Similiter, & privilegia Episcoporum in Ecclesiis, in quibus ipsi, vel eorum Vicarii habent auctoritatem, five ex consuetudine, five ex consuetudinibus, five concordiis, five quocumque alio jure, *sess. 25. cap. 6. de Reform.* Episcopi Concubinarum, vel habitantes cum suspectis mulieribus, si admoniti à Synodo Provinciali non desistant, sint suspensi, & si perseveraverint, deferantur ad Summum Pontificem ab eadem Synodo, quæ in eos animadvertat pro qualitate criminis, *sess. 25. cap. 17. de Reform.* Episcopi non serviant, nec loco cedant Sæcularibus, sed ubicumque servent suam dignitatem, quos Principes honorent, *sess. 25. cap. 14. de Reform.* Vide plura de Episcopis in *Exemptio.*

EUCCHARISTIA.

Christus Dominus totus verè, realiter, ac substantialiter præsens est in Eucharistiæ Sacramento post panem, & vini consecrationem, præsens, inquam, speciebus sensibilibus panis, & vini cum Corpore, Sanguine, anima, ac Divinitate sua, *sess. 13. cap. 1. & Can. 1.* Christus Dominus totus est in Cælo, & totus in Eucharistiæ Sacramento. Sacramentum hoc instituit in ultima Cæna, in qua instituit divitias sui erga homines amoris velut edidit, *sess. 13. cap. 1. & 2.* Præcipitur in hoc Sacramento colere memoriam sui à Christo. Summus cum taquam spirituale alimentum animatum, & confortationem vivendum vitam Christi. Summus tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & præservemur à peccatis lethalibus. Summus item tanquam pignus salutis nostræ. Similiter summus symbolum unitatis Ecclesiæ, cujus Christus esse caput, & ut non sint in nobis schismata, *sess. 13. cap. 3. & Can. 3.* Totus, & integer Christus later sub specie panis, & totus sub qualibet parte hujusmodi specierum, ac proprietatum sub una specie continetur, sicut sub utraque, *sess. 14. cap. 3. Can. 3.* Vi verborum Consecrationis adest sub specie panis corpus Christi, & sanguis sub specie vini. Anima vi unionis naturalis, quam habet cum corpore, & sanguine Christi. Divinitas verò vi unionis hypostatice Divinitatis ipsius cum corpore, & anima Christi, *sess. 13. cap. 3.* In consecratione Eucharistica fit conversio totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Domini, quæ conversio ab Ecclesia Catholica transubstantiatur appellatur, *sess. 14. cap. 4. & Can. 6. & 7.* Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Latræ cultus debetur, *sess. 13. cap. 5. & Can. 6.* Convenienter celebratur festum Sanctissimi Sacramenti, & sunt processiones de illo, & afferatur in Sacrarario, & deferatur ad infirmos, *sess. 13. cap. 5. & 6.* Absque magna reverentia, & sanctitate accedere non debemus ad percipienda tam divina Mysteria;

ac propterea quilibet sibi conscius peccati mortalis præmittere debet Confessionem Sacramentalem, quantumvis sibi coneritus videatur, *sess. 13. cap. 7.* Anathematizatur dicens, Christum Dominum adeste tantum in Sacramento Eucharistiæ, dum sumitur, nempe in usu, non autem dum conservatur in Hostiis, seu Particulis Consecratis, *sess. 13. Can. 4.* Interdictum monialibus intra Chorum, vel septa Monasterii Sanctissimi Eucharistiæ servare, *sess. 25. cap. 10. de Monial.* Vide plura verbo *Communio,* & verbo *Missæ.*

EXAMINATOR.

Debent Examinatores esse Magistri, seu Doctores, seu Licentiat in Theologia, aut jure Canonico, vel Clerici, aut Regulares magis idonei debent jurare, se non judicatos ex humana affectione: nihil debent accipere ab illo, qui examinatur, nec ante, nec post examen: alioquin simoniacè accipient, *sess. 24. cap. 18. de Reform.*

EXAMEN.

Presentati ad obtinenda beneficia quævis debent examinari ab ordinariis locorum. Excipiuntur presentati ab universitatibus, seu habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, litteris exprimentam, *sess. 7. cap. 11.* Quando vacant Parochiæ, fiat concursus, & examen publicum ad electionem novi Parochi, quodsi redditus Parochiæ sint omnino tennes, ut non inveniantur qui se examini quærat subijcere, aut timeantur dissidia, ac tumultus, ordinarius poterit privatim examen adhibere, *sess. 24. cap. 18. de Reform.*

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

Examen conscientie, quod requiritur ante Confessionem Sacramentalem, consistit in hoc, ut quisque diligentius se excutiat, Conscientiæ suæ omnes sinus, vel latebras exploret, *sess. 14. cap. 5.*

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicaciones licet sint nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, non incuriantur temerè, nec ex re vulgari, nec sine magna maturitate, *sess. 25. c. 3. de Reform.* Quando potest deveniri ad executionem realem cum delinquente, vel personale propria auctoritate, non debet reus excommunicatione multari, nec alia censura, *sess. 25. c. 6. de Reform.* Excommunicationem ferri prohibere, vel latam revocari mandare prætextu, quod non fuerit lata per Decretum Tridentini, nulli sæculari licet, *sess. 25. cap. 3. de Reform.* Si quis per annum insorduerit in excommunicatione obdurato animo, procedi possit contra cum

tan-

tanquam de hæresi suspectum. Excommunicatur dicens: Primò, hominem posse justificari sine gratia Christi. Secundò, gratiam dari, ut homo facilius justè vivat. Tertio, sine auxilio Spiritus Sancti hominem posse credere, sperare, amare, penitere, ut justificetur. Quarto, liberum arbitrium in justificatione se habere merè passivè. Quintò, vel post peccatum fuisse amissum. Sextò, hominem non facere per se mala opera, sed Deum facere per se, & propriè. Septimò, omnia opera ante justificationem fuisse peccata & quod qui vehementius nititur se disponere, gravius peccat. Octavò, metum gehennæ, quo abstinemus à peccatis, esse peccatum. Nonò, sola fide hominem justificari. Decimò, hominem sine justitia Christi, vel per eam ipsam formaliter non justificari. Undecimò, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione, exclusa gratia, videlicet, gratiam esse tantum favorem Dei. Duodecimò, vel solam justificare fiduciam de sua justificatione & gratia, vel fidem justificantem esse fiduciam. Decimotertio, vel necessario requiri, ut credat indubitanter peccata esse remissa. Decimoquarto, vel hac fide justificari, vel perfici. Decimoquinto, vel justificatum tenere debere ex fide se esse prædestinatum. Decimosexto, si dicit se infallibiliter perseveraturum. Decimosextimo, vel justitiam prædestinatam ad vitam dari tantum. Decimoctavo, præcepta Dei esse impossibilia. Decimooctavo, vel tantum præcipi fidem in Evangelio; reliqua verò esse indifferentia. Vigesimo, justum non teneri ad observantiam, sed ad credulitatem præceptorum. Vigesimo primo, Christum fuisse datum ut credamus, non ut operemur. Vigesimo secundo, justum posse perseverare in justitia sine auxilio Dei, vel cum eo non posse. Vigesimo tertio, justum non posse peccare, & gratiam amittere, aut posse omnia peccata, etiam venialia vitare. Vigesimo quarto, justitiam non augeri per bona opera, ut per causam, sed quod sint fructus & signa. Vigesimo quinto, justum in omni opere bono peccare venialiter, vel mortaliter ad damnationem, sed non damnari, quia Deus non imputat. Vigesimo sexto, justum per opera bona in gratia non debere sperare gloriam. Vigesimo septimo, peccatum non esse mortale, nisi infidelitatis, vel non nisi eo justitiam amitti. Vigesimo octavo, cum gratia amitti fidem semper, vel fidem mortuam, non esse fidem, & non facere Christianum. Vigesimo nono, lapsum non posse surgere, vel sola fide sine penitentia surgere. Trigesimo, cuilibet remisso peccato, non remanere aliquam penam temporaneam purgandam. Trigesimo primo, justum peccare, si operatur ad gloriam æternam. Trigesimo secundo, bona opera ita esse dona Dei, ut non sint merita hominis; & non mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam. Trigesimo tertio, hac Doctrina Concilii derogari gloriæ Dei, & meritis Christi, *sess. 6. Can. 1. usque ad fine de Justificat.* Excommunicatur qui dicit, Sacra-

menta novæ legis esse plura, vel pauciora septem, vel novam instituta à Christo, vel aliquid horum non esse propriè Sacramentum. Secundò, non differre à veteribus, nisi ut cæremonia. Tertio, vel unum non esse dignius alio. Quarto, esse superflua ad salutem, sed satis esse fidem. Quintò, vel solum esse instituta ad fidem nutriendam. Sextò, vel non conferre gratiam, quam significant non penitentibus obicem. Septimò, vel non semper, & omnibus dari gratiam quantum est ex parte Dei, licet ritè sumatur. Octavò, vel non ex opere operato, sed per solam fidem divinæ promissionis. Nonò, in tribus interabilibus non imprimi characterem in homine. Decimò, omnes Christianos posse ea administrare. Undecimò, in Ministris dum conficiunt, & non conferunt, non requiri intentionem. Duodecimò, Ministrum peccatorem non consecrere, vel conferre gratiam cum omnibus requisitis. Decimotertio, ritus receptos in Ecclesia in solemnibus administratione posse contemari, & omitti pro libito, aut mutari à quocumque Pastore Ecclesiæ, *sess. 7. à Can. 1. Decr. de Sacr.* Excommunicatur qui dicit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum illo Christi. Secundò, non esse necessariam aquam veram, & naturalem. Tertio, in Ecclesia Romana non esse veram Doctrinam de Baptismo. Quarto, Baptismum datum ab hæreticis cum forma, & intentione non esse Baptismum. Quintò, non esse necessariam ad salutem. Sextò, baptismatum non posse amittere gratiam, nisi discedat. Septimò, vel non teneri ad servandam legem Christi, sed tantum ad credendum. Octavò, vel non teneri ad servanda præcepta Ecclesiæ, nisi sua spontè illis submittere se voluerit. Nonò, vel vota facta in baptismis esse irrita, nisi renoventur. Decimò, peccata omnia post baptismum facta dimitti, vel fieri venialia sola recordatione, & fide baptismi. Undecimò, rebaptizandum esse qui negavit fidem apud infideles. Duodecimò, vel neminem baptizandum, nisi in ætate Christi, vel mortis periculo. Decimotertio, parvulos non baptizandos in fide Ecclesiæ, sed in annis discretionis rebaptizandos. Decimoquarto, vel adultos interrogandos an ratificent promissâ à patris, quod si nolint non caltigandos, sed relinquendos privatos usi Sacramentorum, *sess. 7. à Can. 1. Decr. de Reform.* Excommunicatur qui dicit Confirmationem non esse Sacramentum, sed otiosam cæremoniam, & olim fuisse Catechismi quandam. Secundò, vel esse blasphemos qui attribunt aliquam virtutem sacro Christi. Tertio, vel Ministrum ordinum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, *sess. 7. à Can. 2. Decr. de Reform.* Excommunicatur qui dicit, in Eucharistia non esse totum Christum, id est, Corpus, & Sanguinem cum anima, & divinitate, verè, realiter, & substantialiter. Secundò, non fieri transubstantiationem, sed cum corpore Christi remanere substantiam panis. Tertio, sub unaquaque specie, & facta separatione, sub singulis particulis cujusque speciei non esse totum Christum. Quarto, peracta consecratione,

Fili

non

non esse, vel remanere Corpus Christi nisi in usu cum sumitur, non ante, vel post. Quintò, præcipuum fructum esse remissionem peccatorum, vel de ea non alios fructus provenire. Sextò, in Sacramento non esse adorandum Christum cultu latriæ externo, nec diem Festum particularem celebrandum de eo, nec in processionibus circumgestandum, nec publice exponendum, ut adoretur à populo, & adoratores esse Idololatrias. Septimò, non esse conservandum in sacro, sed facta consecratione, distribuendum stantibus, nec infirmis honorificè deferendum. Octavò, Christum in Eucharistia spiritualiter tantum, & non Sacramentaliter, & realiter manducari. Nonò, vel non teneri fideles in annis discretionis communicare in Paschate. Decimò, non licere celebrari seipsum, communicare. Undecimò, solam fidem esse sufficientem præparationem ad communicandum, imò & quemvis contritum de mortali, habita copia Confessarii non debere confiteri. Quare excommunicatur qui hoc docet, prædicat, pertinaciter asserit, seu publicè disputando præsumit defendere, *sess. 13. à Can. 1. Decr. de Sacros. Euchar. Sacram.* Excommunicatur qui dicit, penitentiam non esse propriè Sacramentum à Christo institutum pro lapsis post baptismum. Secundò, vel esse idem cum baptismo, & non esse secundam tabulam. Tertio verba Christi, *Matth. 16. Quorum remiseritis peccata*, non loqui de Sacramento Penitentia, sed de autoritate prædicandi. Quartò, partes penitentia non esse illos tres actus, sed duos, timorem, & fidem. Quintò, Attritionem non esse verum, & utilem dolorem, sed facere hypocritam. Sextò, Confessionem Sacramentalem non esse de jure divino, vel secreto confiteri soli Sacerdoti esse inventum humanum, alienum ab institutione Christi. Septimò, non esse necesse confiteri omnia, & singula mortalia, quæ post examen recordantur, etiam occulta, & circumstantias mutantes speciem peccati, aut non licere confiteri venialia. Octavò, omnium peccatorum confessionem esse impossibilem, & inventum humanum, vel non teneri omnes utriusque sexus confiteri semel in anno. Nonò, abolitionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, vel non requiri confessionem penitentis, ut Sacerdos absolvat. Decimò, Sacerdotem in peccato mortali non habere potestatem ligandi, & solvendi, vel non solos Sacerdotes esse Ministros, sed omnes fideles. Undecimò, Episcopum non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam potestatem. Decimosecundo, totam penam, simul cum culpa semper à Deo remitti, nec requiri satisfactionem præter silem. Decimotertio, penæ temporali non satisfieri tribulationibus à Deo missis patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, vel sponte susceptis, ut piis operibus, &c. Decimoquarto, satisfactiones, quibus penitentibus redimunt peccata per Jesum Christum, non esse cultum Dei. Decimoquinto, claves Ecclesiæ esse tantum ad solvendum

non ad ligandum, idèd penas injunctas esse contra finem Clericorum, *sess. 14. à Can. 1. Decr. de Penitent. Sacram.* Excommunicatur qui dicit, Extremam unctionem non esse verum Sacramentum à Christo institutum, à D. Jacobo promulgatum. Secundò, non conferre gratiam, nec remittere peccata, vel alleviare infirmitatem. Tertio, Ritus Ecclesiæ Romanæ circa unctionem repugnare sententia Jacobi. Quartò, Presbyterum, quem dicit D. Jacobus, non esse Sacerdotem ab Episcopo jure ordinatum, sed ætate seniore in quavis communitate, *sess. 14. à Can. 1. de Sacram. Extrem. unction.* Excommunicatur dicens, de necessitate salutis omnes fideles esse communicandos sub utraque specie. Secundò, aut Ecclesiam errasse, vel non justa de causa ordinasse extra Sacrificium sub una specie panis esse communicandum. Tertio, non integrum Christum cum gratia sub una specie sumi. Quartò, parvulis ante annos discretionis necessariam Eucharistiam, *sess. 21. à Can. 1. de Comm. sub utraque specie &c.* Excommunicatur qui dicit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, vel Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut ordinasse, ut ipsi, vel alii Sacerdotes offerant Corpus, & Sanguinem suum. Tertio, Missæ Sacrificium esse tantum laudis, aut gratiarum actionis, vel commemorationis, & non propitiarium, vel solum prodesse sumenti, vel non debere offerri pro vivis, & defunctis, pro peccatis, penis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus. Quartò, aut per hoc derogari, vel blasphemiam irrogari Sacrificio Christi in Cruce peracto. Quintò, impolitam esse Missam celebrare in honorem Sanctorum, vel per illorum intercessionem. Sextò, Canonem Missæ errorem continere. Septimò, caeremonias, vestes, & externa signa esse irritabilia impietatis. Octavò, Missam in qua solus Sacerdos communicat esse illicitam. Nonò, Ritus Ecclesiæ, quo submissa voce pars Canonis dicitur, & verba consecrationis, damnanda esse, aut debere Missam celebrari lingua tantum vulgari, aut aquam non miscendam vino, quia est contra institutionem Christi, *sess. 22. à Can. 1. Decr. de Sacros. Missæ.* Excommunicatur qui dicit, in Novo Testamento non esse Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem consecrandi, & offerendi Corpus, & Sanguinem Christi, & peccata remittendi, & retinendi, sed esse tantum officium prædicandi Evangelium, & qui non prædicant, non esse Sacerdotes. Secundò, in Ecclesia non esse alios ordines præter Sacerdotium. Tertio, ordinem, vel ordinationem esse inventum humanum, aut tantum esse ritum eligendi Ministros, & non Sacramentum. Quartò, per Ordinem non dari Spiritum Sanctum, vel non imprimi characterem, vel presbyterum rursus fieri posse laicum. Quintò, unctionem, & alias caeremonias in ordinationibus esse contemnendas. Sextò, in Ecclesia non esse Hierarchiam

chiam ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris divinitus institutam. Septimò, Episcopos non esse superiores Presbyteris, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel esse communem cum aliis Presbyteris, vel ordines ab illis collatos sine consensu, aut vocatione populi, vel potestatis Secularis, esse irritos, sed legitimos esse Ministros qui non sunt missi à potestate Canonica, & Ecclesiastica. Octavò, Episcopos auctoritate Papæ assumptos, non esse legitimos, sed figmentum humanum, *sess. 23. à Can. 1. Decr. de Sacram. Ordin.* Excommunicatur primò qui dicit, Matrimonium non esse ex septem Sacramentis institutum à Christo, nec conferre gratiam. Secundò, licere Christianis simul multas uxores habere, & hoc nulla lege Divina esse prohibendum. Tertio, tantum gradus consanguinitatis, & affinitatis in Levitico expressos, impedire contrahendum, & dirimere contractum, nec Ecclesiam posse in his dispensare, vel alios impedientes, vel dirimentes constituere. Quartò, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in hoc errasse. Quintò, dissolvi posse Matrimonii vinculum ob hæresim, vel molestam cohabitationem, vel affectatam absentiam à conjugibus. Sextò, Matrimonium ratum non consummatum non dirimi per solemnem professionem Religionis. Septimò, ob adulterium Matrimonium dissolvi, & posse aliam duci sine fornicatione. Octavò, Ecclesiam non posse facere separationem quoad thorum ad certum, vel incertum tempus. Nonò, Clericos, vel alios sub voto Castitatis posse ducere uxores. Decimò, non esse melius manere in statu virginis, vel celibatu, quam Matrimonio. Undecimò, prohibitionem nuptiarum certis temporibus esse tyrannicam, vel damnat benedictionem, & caeremonias Matrimonii, *sess. 24. à Can. 1. Decr. de Sacram. Matrim.* Excommunicatio ad finem revelationis, vel pro rebus deperditis, vel substractis non decernatur, nisi ab Episcopo, & ex re non vulgari, & causa per eundem magna maturitate, & diligenter examinata, à qua moveatur, & non ab auctoritate cujuscumque Secularis, *sess. 25. cap. 3. de Reform.* Excommunicationem ferri prohibere, vel latam revocari mandare, prætextu quòd non fuerit juxta mandatum Concilii Tridentini, nulli Seculari licet, *sess. 25. cap. de Reform.*

EXEMPTIO.

Quod causas exemptorum vult Tridentinum, quòd observetur Constitutio Innoc. IV. quæ incipit *Voluntas*, in Generali Concilio Lugdunensi edita, Vide Bellarm. *In hoc caput Concilii*, possunt Episcopi, seu Archiepiscopi contra exemptos procedere tanquam Apostolica Sedè Delegati in infrascriptis. Et primò compellere opportunis remediis, ut lectio Sacra Scripturæ habeatur in Monasteriis Monachorum; ubi commodè fieri potest,

si Abbates in hoc negligentes fuerint, *sess. 5. de Reform. cap. 1.* Secundò, providere ut Plebanus, Parochi, & alii curam animarum habentes, per se, vel per alios, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pacant salutaribus verbis, diebus festis Dominicis, & festis solemniibus, & si ipse Ecclesiæ essent nullus Deceffus, Archiepiscopi id præstare debent ut delegati, *d. sess. 5. cap. 2. post prim.* Tertio, procedere contra Prædicatores, etiam speciali privilegio exemptos, qui hæreses prædicarent, *d. cap. 2. circa finem.* Quarto, deputare Vicarios, & providere ne animarum cura negligatur in Ecclesiis etiam exemptis eorum, qui privilegia, indulgentia, aut dispensationes habent de non residendo, *sess. 6. cap. 2.* Quintò, visitare, punire, & corrigere Clericos Seculares privilegiatos, vel Regulares extra Monasteria degentes, si delinquerint, *d. sess. 6. cap. 3.* Sextò, visitare, corrigere, & emendare toties quoties opus fuerit, capitula exempta, eadem *sess. 6. cap. 4.* etiam quando extra visitationem procedit juxta præscriptum, *cap. 6. sess. 25. de Reform.* Septimò examinare uniones à 40. annis citra factas, *sess. 7. cap. 6.* Octavò, visitare quæcumque Ecclesias, quomodolibet exemptas, quævisque ut reparentur, *d. sess. 7. cap. 8.* Nonò, cognoscere causas mercedum miserabilium personarum, eadem *sess. 6. cap. 14.* Decimò, visitare hospitalia juxta formam Clem. quæ contingit, eadem *sess. cap. 15.* Undecimò, cognoscere de surreptione, & obreptione abolitionum concessarum alicujus publici criminis, vel delicti, de quo ipse inquirere coperat, aut remissione penæ, ad quam criminiosus per eum condemnatus fuerat, *sess. 23. cap. 5.* Duodecimò, cognoscere, & punire excessus Clericorum Sacramentum exemptorum, qui alias sua jurisdictioni subessent, tam in visitatione, quam extra visitationem, dummodò in suis Ecclesiis residant, *sess. 14. cap. 4.* Decimotertio, convertere in distributiones quotidianas tertiam partem fructuum, etiam dignitatum, canonicatum, personatum, portionum, & Officiorum Cathedralium, & Collegiarum Ecclesiarum, in quibus nullæ sunt distributiones, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, *sess. 21. & 22. cap. 3.* Decimoquarto, prescribere dignitates, personibus, & Offic. Cathedralium, & Collegiarum Ecclesiarum competens servitium ab eis personaliter adimplendum pro distributionibus lucrandis, *d. cap. 3. sess. 22.* Decimoquinto, novas Parochias erigere, & in erectis ministrorum numerum, prout opus fuerit, augere, *sess. 21. cap. 4.* & uniones facere, ead. *sess. cap. 5.* illasque quæ à 50. annis citra factæ sunt, revidere & examinare, *sess. 7. cap. 6.* Decimosexto, Coadjutores dare Parochis minus idoneis, *sess. 21. cap. 7.* Decimoseptimo, transferre beneficia, & Ecclesiarum refectionem procurare, *d. sess. 21. cap. 7.* Decimoctavo, commendata Monasteria, in quibus non viget regularis observantia, & beneficia quæcumque qualitercumque commenda-

ta visitare, & curare ut reficiantur, quæ restau-
ratione indigent, ut animarum cura, & alia de-
bita obsequia rectè exerceantur, *sess. 21. cap. 8.* De-
cimononò, visitare, & corrigere Regulares in com-
mendatis Monasteriis, in quibus regularis observan-
tia viget, residentes, quando secundum eorum in-
suetudinem non vivunt, cum superiores admoniti intra
sex menses non fecerint, nec correxerint, *d. c. 7. sess. 21.* Vigesimo, cognoscere an in dispensationi-
bus, quæ à Sede Apostolica conceduntur, & in
commutationibus ultimatum voluntatum preces ve-
ritati nitantur, *sess. 22. cap. 5. & 6.* Vigesimo-
primò, exequi omnes pias voluntates, *sess. 12. cap. 8.*
Vigesimo-secundò, visitare Hospitalia, Collegia,
Confraternitates Laicorum, etiam quas scholas
vocant, non tamen, quæ sub Regum immediata
protectione sunt, sine eorum licentia, Montes Piete-
tatis, ac omnia loca pia, *d. cap. 7. sess. 22.* Vige-
simotertio, Notarios examinare, & suspendere,
sess. 22. cap. 10. Vigesimoquarto, visitare Eccle-
sias exemptas, & quæ nullius Diocesis dicuntur,
sess. 24. cap. 9. Vigesimoquinto, in omnibus, quæ
ad visitationem, & morum correctionem spectant,
procedere, *sess. 24. cap. 10.* Vigesimo-sexto, proce-
dere contra Capellanos regios, & habentes titulum
Protonotariatus, & contra oblatos militarium, &
Hospitalium, præterquam eos, qui actu inserviunt,
sess. 24. cap. 11. Vigesimo-septimo, prohibere ne in
consecratione possessionis beneficiorum, Canonica-
rum, &c. interveniant solutiones, promissiones, &
alia sapientia simoniam, & tutorum luera, quæ in
usus pios non convertuntur, *sess. 24. cap. 14.* Vige-
simooctavo, redigere in Congregationes Monas-
teria Sedi Apostolicæ immediate subiecta, si ipsi Re-
ligiosi negligentes fuerint, & hoc faciant Archie-
piscopi in provincia, & si nec ad Metropolitanum in-
stantiam se redegerint, Episcopi, subiaceant, in quo-
rum Diocesi sunt, *sess. 25. de Regular. cap. 8.* Vige-
simononò, Monasteriis Monialium Sedi Apostolicæ
immediate subiectis præesse *d. sess. 25. cap. 9.* Trige-
simò, procurare in Monasteriis sibi non subiectis
ut Monialium clausura restituatur, ubi violata est,
aut conservetur, *juxta. cap. Periculoso, de stat. Regul. in 6.* renovatur, *sess. 15. de Regular. cap. 5.* Trige-
simoprimum, rescindere concessionis juripatronatus ex
augmento dotis, vel alia simili causa à 40. annis ci-
tra acquisitas, & in posterum acquirendas, *sess. 15. de Regular. cap. 9.* Trigesimo-secundò, procedere &
punire Concubinariorum, si postquam admoniti, non
resipuerint juxta formam traditam, *sess. 25. de Re-
form. cap. 14.*

EXTREMA UNCTIO.

EST firmissimum præsidium nostrum in fine vi-
tæ. De Sacram. Ext. Unct. *sess. 14. cap. 1.*
Materia hujus Sacramenti promulgati à D. Jacobo,
est oleum ab Episcopo benedictum; forma, verba

illa, *Per istam sanctam unctionem, &c.* Effectus gra-
tia Spiritus Sancti, quæ spiritaliter inungitur ani-
ma Infirmi, & per humilmodi gratiam alleviatur,
& confirmatur; & delecta illi, si quæ sunt, remit-
tuntur, & peccatorum reliquæ absteruntur, &
excitatur fiducia Divinæ misericordiæ, & sanitas
corporis interdum, si anima expeditur, restitui-
tur, *sess. 14. cap. 1. 2. & Can. 1. & seq.* Ministri
hujus Sacramenti sunt vel Episcopi, vel Presbyteri;
non autem Seniores in Populo. Debet conferri quan-
do infirmus ægrotat, periculosè constitutus in exi-
tu vitæ. Potest iterari, si infirmus convalescat, &
denudò incidat in vitæ discrimen. Nequit hoc Sacra-
mentum contemni à fidelibus sine peccato, *sess. 14. cap. 3. & Can. 3.*

FESTUM.

Curent Episcopi, ut Populus non abutatur die-
bus Festis ad ebrietates, & commensationes,
& lascivias, & tumultus, & profanitates, *sess. 25. de Invocation. & Vener. Sanctorum.*

FIDES.

Fides est initium salutis, & radix justificationis,
& gratiam: *Ibid.* Fides cooperatur bonis operibus
in incremento justificationis, *sess. 6. cap. 10.* Non
amittitur fides per quodcumque peccatum, sed per
peccatum infidelitatis, *sess. 6. cap. 14. & Can. 28.*
Sola fides non justificat, *sess. 6. cap. 9.* Non sola fi-
des præcipitur Christianis, sed & observare præcep-
ta, & cavere prohibita, *sess. 6. Can. 19.* Fides, quæ
remanet in anima post peccatum mortale, viva non
est; tamen eum Christianum facit, *sess. 6. Can. 18.*
Fides nisi accedat ad eam spes & charitas non unit
perfectè Christo, *sess. 6. cap. 7.* In Baptismo Fides, Spes,
Charitas infunditur, *Ibid.* Fiducia Hæreticorum est
inanis: *Ibid.* Sine fide impossibile est placere Deo: *Ibid.*
c. 8. Nec fides, nec opera quæ præcedunt justificatio-
nem, justificationis gratiam promerentur: *Ibid.* & alia
in eo decreto de justificatione. Emitenda est Fidei
professio ab omnibus qui providentur de beneficiis,
aut dignitatibus curam animarum habentibus, aut
etiam Canonatibus, *sess. 24. cap. 12.* Professio fidei
emitenda est ab omnibus Doctores, Magistris, Uni-
versitatibus singulis annis, initio anni, juramento so-
lemni, *sess. 24. cap. 1. de Reformatione.* Rudimen-
ta fidei doceantur in singulis Parochiis singulis die-
bus Festis, *sess. 24. cap. 4. de Reformatione.*

FILIUS.

Filii illegitimi Clericorum non habeant quod-
cumque Beneficium, in Ecclesiis, in quibus
parentes habent, vel habuerunt Beneficium,
nec in diebus Ecclesiis ministrent, vel habeant

por-

portionem in beneficiis, quæ habent, vel habuerunt
parentes, & supra his dispensatio subreptitia censetur,
& reciproca resignationes beneficiorum in fa-
vorem filiorum censentur esse in fraudem hujus
Canonis, nec Collationes secute suffragentur filiis
Clericorum, *sess. 25. cap. 5. de Reform.*

FLAGELLUM DEL.

Flagella in nos à Deo immissa, si à nobis pa-
tienter tolerantur, sunt satisfactoria pro pec-
catis nostris, *sess. 14. cap. 9. & Can. 13.*

GRAMMATICA.

Episcopus provideat, ubi necesse est Magistrum,
qui grammaticam gratis doceat per assignatio-
nem simplicis beneficii, *sess. 5. cap. 1. de Reform.*

GRATIA ACTUALIS.

Homo potest abjicere gratiam Dei excitantem
sess. 6. cap. 5. Non datur à Christo solum ut
facilius sed etiam, ut necessarii iustè vivamus, &
salutem consequamur, *sess. 6. Can. 2.* Absque gratia
ista, quæ est inspiratio Spiritus Sancti, non potest
homo credere, sperare, penitere, prout oportet,
ut justificationis gratia conferatur. *Ibid.* Can. 3.

GRATIA HABITUALIS.

Amittitur per quodcumque peccatum mortale,
sess. 6. cap. 15. Datur etiam non prædestina-
tis, *sess. 6. Can. 17.* Augetur per bona opera, quæ
non sunt mera signa iustitiæ acceptæ, ut volunt
Hæretici, *sess. 6. Can. 24.*

GRATIA, ID EST FAVOR.

Gratias, quæ expectativæ dicuntur prorsus tol-
lit, *sess. 24. cap. 19. de Reform.*

GUBERNATIO.

Integritas præsentium salus est subditorum, *sess. 6. cap. 1. de Reform.*

HABITUS.

Reprehendit Ecclesiasticos induentes habitum
Sæcularem, & decernit esse monendos, ac
post monitionem, si non induerint habitum decen-
tem ordini suo, ac dignitati, decernit, ut suspen-
dantur, quod si denudò deliquerint, ut ab ea de-
ponantur, *sess. 14. cap. 6. de Reform.* Puella non po-
test suscipere habitum Regularium ante annum duo-
decimum ætatis, *sess. 25. cap. 17. de Regular.* Non
debet alicui Regulari concedi occultè habitum suæ

Religionis, *sess. 25. cap. 19. de Regular.*

HÆRETICI.

Hæretici valldum Baptisma conferunt, si Bap-
tizent in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ec-
clesia, *sess. 7. Can. 4. de Baptism.*

HOMICIDIUM.

Voluntarius homicida, licet occultus, omni
ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiasti-
co privatur. Quod si homicidium probetur casta-
le, vel ex repellente vim vi, causa cognita ab ordi-
nario, aut à Metropolitanò dispensetur, *sess. 14. cap. 7. de Reform.*

HOSPITALE.

Præcipitur Ordinariis, ut curent Hospitalia,
etiam exempta à suis Administratoribus fide-
liter, ac diligenter gubernati servata forma Con-
stitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit *qui con-
tingit*, quam Constitutionem innovat, *sess. 7. cap. 15.*
Habetur hæc Constitutio in Clem. de Religiosis. Dom. cap. 2.
Hospitalarii tenentur in conscientia ad fructus per-
ceptos contra Institutionem Hospitalis sine remissio-
ne, vel compositione, *sess. 25. cap. 8. de Reform.*
Hospitalium, & similibus locorum administratio,
vel gubernatio non detur uni, & eidem personæ ul-
tra triennium, nisi in fundatione cautum reperitur,
non obstante, &c. *sess. 25. cap. 8. de Reform.* Hospi-
talia, vel alia pia loca erecta ad usum pauperum,
vel peregrinorum, vel senum, vel infirmorum,
qui obtinent in commendam, vel alium titulum
quomodocumque, teneantur sub præcepto admi-
nistrare onus, & hospitalitatem ex fructibus ad id
deputatis, & si non sint in illo loco hujusmodi
miserabiles personæ, vel perpaucæ sint, Ordina-
rius eligat duos peritiores de Capitulo, & de eo-
rum consensu transferat fructus ad aliam pium usum
pro loco, & tempore utiliorem, qui proximior sit
sui institutionis Hospitalium; nisi aliter pro tali
eventu fuerit provisum in fundatione eorum, quia
tunc debet Episcopus curare ut hoc fiat. Quod si
fieri non potest, ut supra provideat, & si prædicti
Curatores, vel Beneficarii non subiecti Regularibus,
ubi viget observantia non faciunt, quod debent,
possunt compelli per censuras, & alia juris reme-
dia, imò possunt deponi à cura in perpetuum, &
interim tenentur ad fructuum restitutionem, quos
perceperunt, &c. *sess. 25. cap. 8. de Reform.* Ultra
triennium non debet uni committi Hospitalium ad-
ministratio. *Ibidem.*

HY-

HYPOCRISIS.

NON est in Hypocrisis dolere de peccatis propter metum Divinae ultionis, *sess. 24. cap. 4.*

JEJUNIUM.

IN Jejunio querendi sunt cibi, qui ad mortificandam carnem conducant, *sess. 25. de Delect. cib.*

IMAGO.

SACRAe Imagines erudiunt populos per historias picturas expressas. Confirmant eos in fide, admovent eos de beneficiis, & muneribus sibi à Christo collatis: subjungit oculis ea, quae movent ad reddendas Deo gratias, & salutaria exempla sectanda, & excitant ad diligendum Deum, & pietatem colendam, *sess. 25. de Invocat. & Vener. &c.* In Sacris Imaginibus doceatur populus, ut non credat Divinitatem corpoream esse quia coloribus, ac figuris exprimitur. *Ibid.* Ab usu Sacrarum Imaginum tollatur omnis superstitio, omnis turpis quaestus, omnis lascivia. *Ibid.* Nulla insolita imago poni potest in Ecclesia, nisi ab Episcopo approbetur. *Ibid.* &c.

IMMUNITAS.

Immunitas, & libertas Ecclesiastica innovatur pro qua servanda Concilium exhortatur Principes Saeculares, *sess. 25. cap. 20. de Reform.* Ubi innovantur Sacri Canones, & Concilia Generalia, & Apostolicae Sanctiones in favorem Ecclesiasticae libertatis.

INDULGENTIA.

NON possunt Indulgentia abuti Ecclesiastici Saeculares, aut Regulares ad quaestionem, *sess. 21. cap. 9. de Reform.* Indulgentias esse inutiles, vel non posse concedi in Ecclesia, qui dixerit, est excommunicatus, *sess. 25. Decret. de Indulg. in sine fere Concilii.* Indulgentia non nimis facile concedatur, ne enervetur Disciplina Ecclesiastica, circa quas pravi quaestus aboleantur, & ceteri abusus ab Episcopis colligantur, & in prima Synodo Provinciali referantur, ut admoneatur Summus Pontifex, & provideat, *sess. 25. Decret. de Indulg. ut supra.*

INFERNUS.

Inferni metus, per quem ad misericordiam Dei de peccato dolendo confingitur, non est peccatum, *sess. 6. Can. 8.* Est Donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, *sess. 14. cap. 4.*

INFORMATIO.

QUAM, & quomodo sumendae informationes ante creationem Episcoporum, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, habetur, *sess. 14. cap. 1. de Reform.*

INTENTIO.

Intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia, requiritur in conscientiis, & conferendis Sacramentis, *sess. 7. Can. 12.*

JUDEX.

Judex Ecclesiasticus in causis Civilibus, vel Criminalibus, si propria auctoritate posito fieri executio realis, vel personalis, ablineat à Censuris Ecclesiasticis, tum in procedendo, tum in definiendo, sed mulctet, si ita videbitur, poena pecuniaria, applicanda locis piis ibi existentibus post executionem, seu per captionem pignorum, vel distractionem personarum, vel privationem Beneficiorum, vel per alia Juris remedia, sed si executio realis, vel personalis hac ratione fieri non potest; procedatur ad Ecclesiasticas censuras, quando interveniat contumacia. In causis quoque criminalibus si aliter fieri non potest, & sequitur contumacia, praeter alias poenas suo arbitrio excommunicet, praecedente saltem hac admonitione, si delicti qualitas id postulet, *sess. 23. cap. 2. de Reform.* Judices, quibus causae Ecclesiae erunt delegandae, sint personae dignae Constitutionem Bonifacii Octavi, eligendae in Conciliis Provincialibus, vel Dioecesanis, vel in qualibet Dioecesi sint saltem quatuor, vel plures personae probatae, & si una moriatur, ordinarius cum Consilio Capituli in ejus locum eligat aliam usque ad futuram Synodum, & harum personarum designationem factam Episcopi statim mittat Summo Pontifici, & si delegaciones aliis personis per has committuntur, habeantur subreptitiae, *sess. 25. cap. 10. de Reform.*

JUDICIUM FINALE.

Hominum vita non humano judicio examinanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit conilia cordium, *sess. 6. cap. 16.*

JURISDICTIO.

Jurisdictiones Ecclesiasticas, vel facultates nominandi Vicarios in spiritualibus non licet locare, & litterae obtentae super hoc habentur subreptitiae, *sess. 25. cap. 11.*

JUSPATRONATUS.

Tantummodo, qui Capellam de novo fundaverit, aut de suis propriis competenter dotaverit, aut dirutam construxerit, poterit obtinere Juspatronatus. Institutio autem fundationis, aut donationis hujusmodi Episcopo, & non alteri reservatur, *sess. 14. cap. 12. de Reform.* Cum Ecclesia Parochialis subjacet Jurispatronatui, debet Patronus vacante Parochia praesentare Episcopo successorem eligendum, quem examinaturo, Episcopus debet admittere, si fuerit repertus idoneus, *sess. 24. cap. 8. de Reform.* Juspatronatus, seu titulus Beneficiorum Ecclesiasticorum debet esse ex fundatione, vel donatione, & hoc ostendatur ex authentico Instrumento, & aliis jure requisitis, vel ex multiplicatis praesentationibus à tempore immemorabili secundum juris dispositionem, sed quando tale jus praesumeretur, potius usurpatum, quam qualitum, exactior probatio requiritur quam immemorabile tempus, ut sint praesentationes continuatae per quinquaginta annos, quae sint fortitae effectum cum authentico Scripturis. Reliqui Patronatus utcumque concessi, sine irriti, & illorum beneficia Ecclesiastica tanquam libera, conferantur à collatoribus exceptis illis, quae sunt supra Cathedralibus Ecclesiis, vel quae spectant ad Imperatores, Reges, Supremos Principes jura Imperii habentes, & quae sunt in favorem Studiorum Generalium, *sess. 25. cap. 9. de Reform.* Episcopi possint repellere praesentatos non idoneos. Patroni debent relinquere beneficiatis fructus omnino liberos. Nequeunt vendere juspatronatum sub poena excommunicationis, & privationis illius. Unionis beneficiorum liberorum factae Ecclesiae jurispatronatui subiectis, subreptitiae intelligantur, nisi à quadraginta annis plenam incorporationem habuerint debito modo obtentam, & in posterum non constituantur patronatus nisi in evidentem Ecclesiae utilitatem, & qui non sunt ita utiles, revocentur sine damno Patronorum. *Ibid.*

JUSTIFICATIO.

NON justificamur, nisi renascamur in Christo, *sess. 6. cap. 3.* Justificatio post promulgatum Evangelium fieri nequit sine Baptismo in re, vel in voto, *cap. 4.* Initium justificationis in adultis sumendum est à Dei gratia excitante, *ibid. cap. 5.* Causa finalis justificationis est Gloria Dei, & Christi, & vita aeterna; Efficiens Deus, meritorea Christus; Instrumentalis Baptisma; Formalis justitia Dei, qua justos nos facit id est gratia sanctificans, *sess. 17. & Can. 10.* In justificatione infunditur homini Fides, Spes, Caritas, *sess. 6. cap. 7.* Justificamur per fidem gratis, quia fides est initium justificationis, & quia neque fides, neque opera justificatio-

nem praecedentia, justificationis gratiam promerentur, *sess. 6. cap. 8.* nullus scire potest certitudine fidei se esse gratiam justificantem consecutum, ac propterea quilibet potest de sua gratia formidare attento se ipso, *sess. 6. cap. 9.* Justitia, qua justificamur, nostra est, quia nobis inhæret; Dei est, quia infunditur nobis à Deo per Christi merita, *sess. 6. cap. 16.* Opera nostra per humanam naturam vires, vel per legis Doctrinam facta non justificant absque gratia Christi, *sess. 6. Can. 1.* Non justificamur per solam imputationem justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quae in cordibus infunditur, atque illis inhæret, *sess. 6. Can. 11.*

JUSTUS.

Hæresis est dicere, justos in omni bono opere saltem venialiter peccare, *sess. 6. cap. 11.* Per gratiam sanctificantem verè justus sumus, *sess. 6. cap. 7.* Nemo potest esse justus nisi cui merita Christi Domini communicantur. *Ibid.* Justus potest semper magis justificari. *Ibid. cap. 10.*

LECTOR.

LECTORES Sacrae Scripturae in scholis publicis gaudeant de fructibus, & praebendis beneficiorum, etiam abentes, *sess. 5. cap. 2. de Reform.* Praebendae Lectoribus dentur ad expositionem Sacrae Scripturae, si idonei sint, alioquin Ordinarii substituant Lectoribus alios idoneos, ubi verò desunt praebendae, constituantur ex fructibus beneficiorum simplicium, *sess. 5. cap. 1. de Reform.*

LEGATUS.

Legati Summi Pontificis praefuerunt omnibus Sessionibus Conc. Trid. ut in principio omnium Sessionum habetur. Porro hi fuerunt diversis temporibus Legati. Hercules Gonzaga S. R. Ecclesiae Presb. Card. Tituli S. Mariae Novae, Mantuanus, obiit Trident. die secunda Martii 1563. & sepultus est Mantuae. Hieronymus Seripandus Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Card. Tituli S. Sufannae Neapolitanus, obiit Trident. die 17. Martii 1563. Et ibi sepultus in Ecclesia Sancti Marci ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quorum olim fuerat Generalis. Joan. Moronus Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Card. Episcopus Praenestinus, Mediolanensis, in demortui Card. de Mantua locum missus. Stanislaus Hofius Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Card. Tituli Sancti Laurentii in pane, & perna Polonus Warmienensis. Ludovicus Simoneta Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Card. Tituli Sancti Cyriaci in Thermis, Mediolanensis. Marcus Syricus S. R. Ecclesiae Diaconus Card. Basilicae duodecim Apostolorum de Altuempis, Germanus. Bernardus Navagerius S. R. om. Ecclesiae Presb. Card. Tit. Sancti Nicolai inter Ima-

gines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum missus. Cardinalis Carolus à Lotharingia, & Cardinalis Madruetus interfuerunt Concilio, sed non ut Legati. Hæc & alia quoad eos, qui Concilio adfuerunt, videri possunt apud Bellarm. in fine declarationum Concilii Tridentini.

LIBERTAS.

Liberum Arbitrium per peccatum Originale non est extinctum in homine, sed vitibus attenuatum, & inclinatam, *sess. 6. cap. 1. & Can. 5. Excommunicatur* dicens, liberum Arbitrium mere passivè se habere ad gratiam excitantem, *sess. 6. Can. 4. Item Can. 5. Excommunicatur* qui dixerit, post peccatum Adæ liberum Arbitrium amissum fuisse. Vide *Gratia*.

LIBRI.

NON licet Libros imprimere, aut retinere, aut impressos vendere, qui sint sine nomine Authoris, *sess. 4. Decret. de Editione, &c.* Et hoc sub pena Anathematis. Non licet libros edere typis nisi prius examinati fuerint ab Ordinariis, & probati sub pena Anathematis, *sess. 4. de Editione*. Regulares non possunt typis edere libros, nisi prius examinati, & probati fuerint à Superioribus juxta formam suarum ordinationum, *sess. 4. de Editione, &c.* Approbatio librorum datur in Scripturis, & in fronte libri expressi autenticè appareat, *sess. 6. de Editione, &c.* Examen, & probatio librorum fiat gratis, *sess. 4. de Editione, &c.* Romani Pontificis judicio hæc, & publicetur index librorum prohibitorum, Catholicismus, Missale, Breviarium, *sess. 25. cap. 4. de Reform.*

LITTERÆ.

Litteræ Dimissoriae quando concedi possunt à Capitulis, vide *Capitulum*. Litteræ dimissoriae non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimentam, *sess. 7. cap. 11.*

LOCA PIA.

Omnia loca pia possunt visitare, ac debent cognoscere, ac exequi Episcopi, exceptis tamen illis, quæ sub immediata protectione Regum sunt. Item, de omnibus operibus piis ad ipsos cognoscere spectat, tanquam à Delegatis Apostolicæ Sedis, *sess. 22. cap. 8.*

LOCATIO.

Locationes rerum Ecclesiasticarum factæ anticipata solutione, non valent in præjudicium Successorum, nec tales locationes confirmantur: similiter locationes earundem rerum factæ ad longum tempus, si Synodus Provincialis, vel ab ea deputandi judicaverint esse in damnum Ecclesiæ, vel

contra Canonicas Sanctiones, sunt irritæ per Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. 11. de Reform.*

LUCRUM.

Lucrum quodcumque acquisitum in aliqua electione, presentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii provisione sapiens fordidam Avaritiam, aut labem Simoniacam interdicitur sub penis contra Simoniacos editis à sacris Canonibus, *sess. 24. cap. 14. de Reform.*

LUDUS.

Ludi Aleorum, & Choreæ interdicitur Clericis, *sess. 24. cap. 1. de Reform.*

MAGISTRATUS.

Magistratus Sæculares hortatur Synodus, ut severè coerceant vagos, ne vivente alibi uxore propria, aliam alibi ducant, *sess. 24. cap. 7. de Reform. Matrim.* Magistratus directè, vel indirectè subditos suos minis, & penis cogentes ad certa Matrimonia cum certis personis ipso facto excommunicantur, *sess. 24. cap. 9. de Reform. Matrim.*

MANDATA DEI.

DEI mandata non sunt impossibilia, sed neque gravia; nam jugum Christi suave est, *sess. 6. cap. 11.* Præcepta Dei non sunt impossibilia homini justificato, & sub gratia constituto, *sess. 6. Can. 18.* Tenetur homo justificatus ad observantiam mandatorum Dei, & non sufficit, quod credat, *sess. 6. Can. 20.*

MANDATUM.

Mandata de providendo prorsus tollit, *sess. 24. cap. 19. de Reform.*

MARIA VIRGO.

In Decretis de peccato Originali non comprehendit Beatissimam Virginem, sed innovat Constitutiones Sixti Quarti circa Mystra Conceptionis ejus, *sess. 5. Decret. de Peccato Originali*. Beata Virgo Maria in tota vita ex peculiari auxilio vitavit omnia peccata, etiam venialia, *sess. 6. Can. 25.*

MATRIMONIUM.

Est nexus indissolubilis, & perpetuus, & probat hoc Sancta Synodus pluribus locis Sacrorum Bibliorum, *sess. 24. Doctr. de Sacram. Matrim.* Est verum Sacramentum à Christo Domino institutum. *Ibid. Can. 1.* Non licet pluralitas uxorum, & hoc

hoc interdicitur lege Divina, *Can. 2.* Impediunt Matrimonium gradus consanguinitatis, & affinitatis, qui in Levitico exprimuntur, & etiam, qui statuti sunt ab Ecclesia, quæ potest in nonnullis dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, & dirimant, *sess. 24. Can. 3. & 4.* Matrimonium dissolvi non potest, nec propter hæresim, nec propter molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à Conjuge, *sess. 24. Can. 5.* Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum dirimitur, *sess. 24. Can. 6.* Matrimonium propter Adulterium non dissolvitur, nec conjux innocens potest alteri nubere, & hoc docet Ecclesia ex Evangelio, *Ibid. Can. 7.* Fieri non potest ab Ecclesia ob multas causas separatio inter Conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incurtume tempus, *sess. 24. Can. 8.* Non potest Clericus in Sacris constitutus, vel regularis solemniter professus, obstante lege Ecclesiastica, vel voto, Matrimonium contrahere, contractumque, validum non est. Causa Matrimoniales ad judices Ecclesiasticos spectant, *sess. 24. Can. 12.* Matrimonia clandestina irrita non fuerunt quoad Ecclesia irrita non fecit, ea autem semper Ecclesia destituta est, *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Matrimonium contractum absque consensu Parentum irritum non est; nec parentes possunt irrita facere filiorum Matrimonia, *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.* Qui clam contraxit Matrimonium, id est qui contraxit sine presentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de licentia Parochi, vel Ordinarii, non contraxit vere, quia per Tridentinum irritum est hujusmodi Matrimonium, *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Præcipit Tridentinum, ut antequam Matrimonium contrahatur, denunciatur tribus diebus festis in Ecclesia inter Missam solemnem à proprio contrahentium Parocho, quibus denuntiationibus factis; si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ, procedatur intellecto mutuo consensu contrahentium per verba Ego vos in Matrimonium conjungo, &c. vel alia, juxta receptum ejusdemque Provinciae ritum, *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Quod si timeatur, Matrimonium malitiosè impediri posse, una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus presentibus celebratur. *Ibid.* Quando celebratur non præmissis denuntiationibus, ante confirmationem fiant denuntiationes in Ecclesia, nisi Ordinarius expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, *sess. 14. cap. 1. de Reform. Matrim.* Si celebratur Matrimonium sine Parocho, vel sine testium duorum numero, aut sine Sacerdote alio de consensu Parochi, Matrimonium sit nullum. Parochos taliter contrahentes jubet graviter puniri ab Ordinario, *sess. 24. Doctr. de Sacram. Matrim.* Antequam contrahant, vel saltem antequam consumment Matrimonium conjuges cõstentur, &

communicent. Hoc tamen non præcipit Synodus, sed tantummodo hortatur, *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Si quis Matrimonium contraxerit inter gradus prohibitos, debet separari, ita ut careat spe consequendæ dispensationis, præcipue si Matrimonium consummavit, *sess. 24. cap. 25. de Reform. Matrim.* Si autem probabilem quis ignorantiam habuit, & adhibitis solemnitatibus debitis, postea impedimentum apparuit, facilius cum eo gratis poterit dispensari. *Ibid. &c.* In contrahendo Matrimonio raro datur dispensatio, vel nunquam; gratis autem datur, & ex causa. In secundo gradu dispensetur tantum inter magnos Principes, ob publicam causam. Si quis Matrimonium inter gradus prohibitos contraxit, etiam si ignorantia non adhibitis solemnitatibus, non dispensetur cum illo. Si autem, contraxit adhibitis solemnitatibus ex ignorantia probabili, facile poterit dispensari ex causa, & gratis, *sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* Inter raptorem, & raptam nullum potest consistere Matrimonium quoad raptam in potestate raptoris manserit. Quod si rapta à raptore separata consenserit in loco tuto, & libera in Matrimonium cum illo, tenet Matrimonium, sed raptor, ac omnes illi auxilium, ac favorem præbentes excommunicati sunt. Domini, ac Magistratus directè, vel indirectè subditos suos minis, ac penis cogentes ad certa Matrimonia contrahenda cum certis personis ipso facto excommunicantur, *sess. 24. c. 9. de Reform. Matrim.* Ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à Feria Quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive solemnitates Nuptiarum prohibentur: cæteris temporibus permittuntur cum modestia, & honestate celebrandæ: *sess. 24.*

MENDACIUM.

Gratia mendacis, aut taciturnitate veri extortæ debent revocari ab Episcopo tanquam à Sedis Apostolicæ delegato, *sess. 13. cap. 5. de Reform.*

MIRACULUM.

Nullum Miraculum novum percipiendum est, nisi approbante Episcopo, sicut & nullæ Reliquiæ exponendæ sine ipsius approbatione, *sess. 25. de Invocat. & Venerat.*

MISSA.

Est incruenta renovatio Sacrificii, quod obtulit Christus in Cruce eadem Hostia, idem Sacerdos, &c. sola offerendi ratione diversa, *sess. 22. cap. 2.* Per hoc Sacrificium incruentum percipiuntur uberrimè fructus Sacrificii illius incruenti. *Ibid.* Missa est Sacrificium verè propitiatorium, non fit tamen per ipsum ac si audiens Missam, non communicaret; aliud quippe est offerri Sacrificium, &